

Gregorio Magno, Dialogi (a. D. 593-594), IV 37, 7 - 38, 1.

7 Ante triennium quoque in hac pestilentia quae hanc urbem clade vehementissima depopulavit, in qua etiam corporali visu sagittae caelitus venire et singulos quosque ferire videbantur, sicut nosti, Stephanus idem defunctus est. Quidam vero miles in hac eadem nostra urbe percussus ad extrema pervenit. Qui eductus e corpore exanimis iacuit, sed citius rediit et quae cum eo fuerant gesta narravit.

8 Aiebat enim, sicut tunc res eadem etiam multis innotuit, quia pons erat, sub quo niger atque caligosus foetoris intolerabilis nebulam exhalans fluvius decurrebat. Transacto autem ponte amoena erant prata atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conventicula esse videbantur. Tantisque in loco eodem odor suavitatis inerat ut ipsa suavitatis fragrantia illic deambulantes habitantesque satiaret¹. 9 Ibi mansiones diversorum singulae², magnitudine lucis plenae. Ibi quaedam mirae potentiae aedificabatur domus³, quae aureis videbatur laterculis construi⁴, sed cuius esset non potuit agnosci. Erant vero super ripam praedicti fluminis nonnulla habitacula, sed alia exurgentis foetoris nebula tangebantur, alia autem exurgens foetor a flumine minime tangebatur.

10 Haec vero erat in praedicto ponte probatio, ut quisque per eum iniustorum vellet transire, in tenebroso foetentique fluvio laboretur, iusti vero, quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amoena pervenirent.

11 Ibi se etiam Petrum, ecclesiasticae familiae maiorem, qui ante quadriennium defunctus est, deorsum positum in locis taeterrimis, magno ferri pondere religatum ac depressum vidisse confessus est. Qui dum requireret cur ita esset, ea se dixit audisse quae nos, qui eum in hac ecclesiastica domo novimus, scientes eius acta recolimus. Dictum namque est: «Haec idcirco patitur, quia si quid ei pro facienda ultione iuebatur, ad inferendas plagas plus ex crudelitatis desiderio

¹ Forse reminiscenza di *PPF* c. 13, 8 Universi odore inenarrabili alebatur, qui nos satiabat.

² L'idea di dimore per i singoli beati trova forse il suo riferimento, per i cristiani, in Gv 14, 2 Ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρὸς μου μοναὶ πολλαὶ εἰσιν.

³ Per l'idea del palazzo in costruzione si ricordino gli *Atti di Tommaso*, c. 22.

⁴ Per il significato di questo particolare vd. *infra*, 37, 15-16 e 38, 1.

quam oboedientia serviebat». Quod sic fuisse nullus qui illum novit ignorat.

12 Ibi se etiam quendam peregrinum presbiterum vidisse fatebatur, qui ad praedictum pontem veniens tanta per eum auctoritate transiit quanta et hic sinceritate vixit. In eodem quoque ponte hunc quem praedixi Stephanum se recognovisse testatus est; qui dum transire voluisset, eius pes lapsus est, et ex medio corpore iam extra pontem deiectus, a quibusdam taeterrimis viris ex flumine surgentibus per coxas deorsum, atque a quibusdam albatis et speciosissimis viris coepit per brachia sursum trahi. Cumque hoc luctamen⁵ esset, ut hunc boni spiritus sursum, mali deorsum traherent, ipse qui haec videbat ad corpus reversus est et quid de eo plenius gestum sit minime cognovit. 13 Qua in re de eiusdem Stephani vita datur intellegi quia in eo mala carnis cum elemosinarum operatione certabant. Qui enim per coxas deorsum, per brachia trahebatur sursum, patet nimirum quia et elemosinas amaverat et carnis vitiis perfecte non restiterat, quae eum deorsum trahebant. Sed in illo occulti arbitri examine quid in eo vicerit et nos et eum qui vidit et revocatus est latet.

14 Constat tamen quia idem Stephanus, postquam, sicut superius narravi, et inferni loca vidit et ad corpus rediit, perfecte vitam minime correxit, qui post multos annos de corpore adhuc ad certamen vitae et mortis exiit. Qua de re collegitur quia ipsa quoque inferni supplicia cum demonstrantur, aliis hoc ad adiutorium, aliis vero ad testimonium fiat, ut isti videant mala quae caveant, illi vero eo amplius puniantur, quo inferni supplicia nec visa et cognita vitare voluerunt.

15 PETRUS. Quid est hoc, quaeso te, quod in amoenis locis cuiusdam domus laterculis aureis aedificari videbatur? Ridiculum est valde, si credimus quod in illa vita adhuc metallis talibus egeamus.

16. GREGORIUS. Quis hoc, si sanum sapit, intellegat? Sed ex eo quod illic ostensum est, quisquis ille est cui mansio ista

⁵ L'idea della lotta tra angeli e diavoli per il possesso dell'anima del defunto risale in parte al giudaismo, all'antica concezione del viaggio dell'anima attraverso i cieli, viaggio nel quale l'anima deve superare l'opposizione di demoni che vogliono impedirne il passaggio; in parte alla credenza iranica, presente anche in papiri magici, di una lotta tra forze del bene e forze del male per l'anima del morente (cfr. F. Cumont, *Lux perpetua*, Paris 1949, pp. 296-299). Cfr. ad es. Atanasio, *Vita Antonii*, c. 65.

construitur, aperte datur intellegi quid est quod hic operatur. Nam quoniam praemium lucis aeternae elemosinarum largitate promerebitur, nimirum constat quia auro aedificat mansionem suam⁶. Quod enim superius memoriam fugit ut dicerem, idem miles qui haec viderat narrabat quod eosdem laterculos aureos ad aedificationem domus senes ac iuvenes, puellae et pueri ferebant. Qua ex re collegitur quia hii, quibus hic pietas facta est, ipsi illic operatores esse videbantur.

38, 1 Sic etiam quidam iuxta nos, Deusdedit nomine, religiosus habitabat, qui calciamenta solebat operari. De quo alter per revelationem vidit quod eius domus aedificabatur, sed in ea constructores sui solo die sabbati videbantur operari. Qui eiusdem viri postmodum subtiliter vitam requirens invenit quia ex his quae diebus singulis laborabat, quicquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die sabbato ad beati Petri ecclesiam deferre consueverat atque indigentibus erogare. Qua ex re perpende quia non immerito domus ipsius fabrica sabbato crescebat.

2 PETRUS. Hac de re mihi idonee video satisfactum. Sed quaeso te, quid esse dicimus quod quorundam habitacula foetoris nebula tangebantur, quorundam vero tangi non poterant? Vel quid quod pontem, quid est quod fluvium vidit?

3 GREGORIUS. Ex rerum, Petre, imaginibus pensamus merita causarum. Per pontem quippe ad amoena loca transire iustos aspexit, quia *angusta valde est semita quae ducit ad vitam* (Mt 7, 14), et foetentem fluvium decurrentem vidit, quia ad ima cotidie defluit carnalium hic putredo vitiorum. 4 Et quorundam habitacula foetoris nebula tangebat, quorundam vero ab ea tangi non poterant, quia sunt plerique qui multa bona opera faciunt, sed tamen adhuc carnalibus vitiis in cogitationis delectatione tanguntur, et iustum valde est ut illic nebula foetoris obsideat quos hic adhuc carnalis foetor delectat. [...] Qui autem perfecte cor ab omni delectatione carnis excutiunt, constat nimirum quia eorum habitacula foetoris nebula non tanguntur. 5 Et notandum quod idem foetor esse et nebula visa sit, quia nimirum carnalis delectatio mentem quam inficit

⁶ L'idea della dimora costruita in cielo con il denaro dato in elemosina, che abbiamo trovato negli *Atti di Tommaso* (dove però è l'apostolo a intercedere per il re, dando in elemosina il denaro di quello), Gregorio la trovava anche (sia pure non esplicitata) nella lettera di Evodio Uzalense a S. Agostino (Ep. 158; ed. Goldbacher, CSEL 41; anche in Ciccarese 1987, pp. 112-113). Cfr. poi la *Visio Baronti*, c. 10.

obscurat, ut veri luminis claritatem non videat, sed unde delectatur inferius, inde caliginem ad superna patiatur.